





1762

~~Bothe~~

1. Chladenius, Innoentius Martinus: De homagio reali
2. ^a Chladenius, Innoentius Martinus: De rescriptis principum
2. ~~5~~ Fischer-Kühn
3. Hanacensis, Christianus: De favore erga debitores calamitate belli debilitatos
4. Hofmannus, Carolus Fredericus: De postulationibus.
5. Kluegel, Gottlob Christianus: Ord. iudicis . . . Decanus, Lectori honorabilis . . . (et reputationem solennem Christiani Innoentii Bauveri iur. tit.)
6. Kluegel, Gottlob Christianus: Ord. iudicis . . . Decanus, Lectori honorabilis . . . (et reputationem solennem Henrici Frederici Leberecht Anderniet iur. tit.)
7. Krausius, Georgius Fredericus: De eo, quod est in iurisdictione criminali respectu condemnati et mortis.
8. Krausius, Georgius Fredericus: Usur fractura reale ubi do non amitti . . . publicae defendit

9. Schroederus, Ernestus Christophorus Christianus: *Fus relegatus*
 ejusque in re publica usum an legibus juris naturalis
 et gentium regulisque potestatis illustret
10. ²⁷Neugarting, Ernestus Fester: *De formula utriusque pacti, Habsburgica, Habsburgica.*
 1763. ~~10~~ Wilke ^{1a} Boehmer
11. Chladenius, Ernestus Martinus: *Incrementa et jura mercatorum in Germania*
2. Hommel, Carolus Ferd.; *Procuratorius: De legitima filiarum ex fundo vero recte computanda. . . . atque solemnibus instructionibus. . . . eandem d. d. Johannis Georgii Spillneri. . . . celebranda in d. d. et.*
3. Kluegel, Gualterus Christianus: *Ord. juridici. . . . Decimus: Lectori benivolus s. (ad dispensationem Christiani Maurici Dreuseri inserta)*
4. Kraus, Georgius Fidelicus: *Ord. juridici. . . . Decimus: Lectori benivolus s. s. p. (ad dispensationem Johannis Baumholti inserta)*
5. Krausius, Georg. Fidelicus: *De postliminio rerum praesertim militiarum*
6. Pauli, Martinus Gualterus: *De Burgensium originibus.*

7. Titius, Joannes Senil : De pecunie deferri et aliis
melioris exaequatione presentem in mutuo
76. Tillet 76. Tillet
8. Weickhorst, Friedr Sen : De recto pacis usu
1764.

1. Fischerus, Fredericus Augustus : Retractum consanguinitatis
in heredes extraneos ne per litas quidam contestationibus
transmitti erineat
2. Gollingius, Carolus Gollert : De argumentis, quibus iustus
Terrae vel impugnetur vel defenditur.
3. Kraussus, Georgus Fredericus : De fundis fiduciariis
4. Kraussus, Georgus Fredericus : De donatione mortis causa
ex principis antiqui juris Germanici non revocabili
5. Pauli, Martinus Gollert : De constituta pecunia
6. Pauli, Martinus Gollert : De compensatio exibus.
7. Strauch, Joannes Augustus : Principium perfectionis et utilitatis
specie vindicat
8. Strauch, Joannes Augustus : De systemate convenientiae
sive jure naturae gentiumque mercenario eoque anti-
quitate et impetudine

9. Strauch, *Tractatus de iure* : bnd. phil . . . De causis :
causis vobis et summo philosophiae ac laurea p[ro]fessionis
honores . . . expensibus . . . iuribus praesentibus
viri commentationes : de obligatione interna in iure
naturali sufficiente

DE
B E L L O
M O R B O R V M C A V S A

P R A E S I D E

GEORG. RVDOLPH. BOEHMERO

PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. ET BOTAN.

PROF. PVBL. ORD.

PRO LICENTIA

D. XVIII. MENS. IVL. A. R. S. MDCCLXIII

DISPVTABIT

IOANNES FRIDERICVS SINZIVS

MUGELLA MISNICVS

MEDICINAE CANDIDATVS

VITTEBERGAE

PRELO. EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS

Styl 1/1
1763,
1a



DE
B E L L O
M O R B O R U M C A U S A
P R A E S I D E
G E O R G R Y D O L P H B O E H M E R O
M D ET MED DOCTANAT ET BOTAN
P R O F E S S O R
P R O P I E T A R I A
I N X I M I S T R A T A E M E D I C I N I
P R A E S I D E
J O A N N E S F R I D E R I C U S S A N N I V S
M D C C C X I V
M E D I C I N A L I S C A N D I D A T U S
P R O P I E T A R I A
P R O F E S S O R
P R O F E S S O R C O L L E G I I P R I M A R I I
P R O P I E T A R I A





§. I.



Possemus facile ad illa VIRGILII verba

*Nulla salus bello, pacem te poscimus
omnes, a)*

prolixum commentarium scribere, pacemque bello longissime praefendam esse, copiosiori oratione declarare, nisi superiore et nostra aetate alii b) luculentissime docuissent, quam saeva et periculosa

a) Aeneid. L. XI. v. 362.

b) Excitemus modo CROEST, Lydorum Regis, responsum, CYRO datum, apud HERODOTVM: nemo omnium in amens est, ut bellum quam pacem praeparet: nam in pace filii patres, in bello patres filios spectant. num. 87. Edit. Gronov. nec non Charissimi nostri Collegae, CELANGVTHII, quae egregie huc spectant, eleganter dicta: *Quis est, inquit, cui, quoribus sanctum hoc et miserabile nomen, bellum, subit, lacrymae, nimis, sole madentis, more non eant? qui quae quantaque mala bellum gignat, heu! nimium expertus non didicerit? quem nec domesticus luctus, nec durus coecusque morbus, induxerit bellorum comites, pacis confecerint.* Vid. Diss. de Animo sanitatis praefide ac custode optimo. Witt. 1758. edit. §. I. p. 4. BERN. RAMAZZINVS etiam de Morbis Artificum c. 4. edit. Oper. Geneu. 1717. 4. p. 634. asserit. *Militaris disciplina, quae satis antiquam cum literis licet habuit, de dignitate ac praestantia, et quoniam sit aprior ad nominis immortalitatem comparandam, hoc habet, in quo a reliquis artibus differt, quod caeterae ad vitam, qua nil pretiosius, sustentandam, haec ad illam prodigendam videtur instituta.*

A

ausgegeben



losa res bellum sit. Verissime profecto ERASMVVS c) pronunciauit, *dulce bellum inexpertis*. Grauiſſimis autem bellorum cladibus, vrbium villarumque incendiis, agrorum vaſtationibus, caeterisque belli calamitatibus, namque non ſolitaria hic incedunt infortunia, merito etiam adnumeranda eſt laeſa humani corporis ſanitas. De quo ingenti damno, quod ſolent bella parere, paullo curatius exponere apud animum conſtituimus, vt omnes intelligant, quantum ſummo debeamus Numini, cuius eſt prouidentia factum, vt bellum, quod per ſeptem fere annos in Germania faeuit, feliciter finiretur, iamque dulciſſima pace gaudere liceat, qua florente multa humanis corporibus ſanitatique noxia melius vitari poſſunt. Dum autem morbos, eorumque cauſas, quatenus a bello originem habent, perpendere ſuſcipimus, non attendemus ad eos, qui bella gerunt, praeliis interſunt, obſidionis pericula ſuſtinent, et inde trunca membris corpora, fractos fatiſcentesque artus, omnis generis vulnera, ipſam denique mortem, ſuſcepti militaris operis praemia atque trophaea, reportant; neque etiam illa morborum mala contemplantur, quae militum d) corpora frequentiffime inhabitare, ac in caſtris plerumque regnare ſolent; ſed reſpiciemus potius ad regionum, in quibus bella geruntur, incolas, vtpote qui belli effectus quaſi ex longinquo tantum experiuntur, et, licet non ignitis globulis gladiisque iugulentur, vim tamen belli ſentiunt, varioque modo inde afficiuntur. Multa enim et in ipſo bello, et tempore belli fiunt, quae inuitabili neceſſitate corpus humanum diuerſimode mutant alterantque, quae tamen omnia ad rerum, vt dici ſolent, non naturalium claſſes commode reduci poterunt. Et cum in his primum locum obtineat aer, de eo quoque primum diſſerendum venit. Aerem

c) Chilia. IV. Cent. I. num. 1.

d) Morbos, militibus proprios, ſingulari diſſertatione, Witt. 1762. edit. ſolide pertractant Cel. E. G. BALDINGERVS, qui etiam indicem ſuis copioſum auctorum exhibuit, qui de morbis ſic dictis caſtrenſibus ſcripta euulgarunt.

rem, qui HIPPOCRATE *e*) asseuerante, *maximus in omnibus, quae corpori accidunt, et auctor et dominus*, occultus ille vitae cibus et pabulum, noltrique quasi corporis spiritus, qui innumeras oeconomiae animali adfert utilitates, sanitatem labefactare, et frequentissimam morborum, tempore belli grassantium, causam existere, diffiteri non possumus. Hinc non modo in genere Idem Venerandus Senex morbos quosdam vix vnquam aliunde, quam ab aere oriri posse, affirmauit, sed et scripsit: *quando ab vno morbo multi homines corripuntur eodem tempore, causam ad id, quod communissimum est, et quo maxime omnes vrimur, referre oportet, est autem hoc spiritus et aer, quem inspirando trahimus. f*) Aer autem, cum variis praeditus sit qualitatibus, eademque maxime mutabiles existant, diuersimode causam morborum constituit. Qua ratione autem aer per se consideratus, vel leuior grauiorque, vel rarus densusque, vel siccus et humidus, vel calidus, vel frigidus, vel demum elasticitate mutatus, incommoda C. H. gignat, nunc a nobis, cum id laudabili studio alii *g*) fecerint, haud disquirendum erit; eas enim modo considerabimus proprietates, quae tempore belli praecipue se manifestant, illumque ita mutant, vt non possit non

e) Libr. de Flatibus, edit. Linden. To. I. p. 401.

f) De Natura humana §. 18. edit. cit. To. I. p. 273. additque §. 19. p. 274. *Quum vnus morbi popularis grassatio consistit, manifestum est, diacram non esse culpabilem, sed quem trahimus spiritum, et palam est, eum ipsum spiritum, siue aerem, morbosam aliquam exhalationem habere.*

g) Adducamus haec de re inprimis IO. LVD. MÜLLERI Diss. de Aere. Erf. 1713. 4. GOTTL. EPHR. BERNERI Exerc. de efficacia et vsu aeris mechanico in C. H. Amstel. 1723. 8. IOHN ARBYTHNOT Essay concerning the effects of air on human bodies Lond. 1733. 8. PÖL FRIDR. SCHACHERI Diss. de aeris efficacia in C. H. Lips. 1738. 4. FRIDR. de la fosse Diss. de Aere vitae et morborum causa. L. Bat. 1743. 4. IO. AD. WEDELI Diss. de Meteororum actione in C. H. Jen. 1746. 4. BOISSIER de SAVVAGE Diss. ou l'on recherche comment l'air suivant ses differentes qualitez agit sur le corps humain. a Bordeaux 1753. 4. et IOB. BASTERYM in Comment. Societ. Harlemens. To. III. p. 37.



non causa morborum frequentissima et communis existere. Mutationes hae, a nobis nunc perlustrandae, non nouae quidem ac singulares sunt, immo in aere, etiam sine bello, solent accidere, in bello tamen et frequentiores, et magis manifestae, magisque efficaces, et plures simul ac inter se iunctae inueniuntur, et hinc eo maiora, et communia damna excitant. Tria hic potissimum animaduerti debent: scilicet, quatenus primo aer a tormentis bellicis mutetur, secundo cadauerum aliarumque rerum, putridarum praecipue, effluuiis inquinetur, et tertia a sylvarum destructione alteretur.

§. II.

Magno repentinoque tubarum ac tympanorum sono, et tormentorum omnis generis strepitu frequenter belli tempore mutatur aer. Et ad tormentorum quidem fremitum, tanquam periculi et belli summam, nunc modo respiciamus, ac in genere notemus, excitati ignis calorisque vim, per plumbeas ferreasque pilas, in sclopera, bombardas, aliasque maiores minoresque machinas omnis generis, raptim iniectas, et fulminis grandinisque instar explosas, aerem quam maxime commoueri. Ventum igne et calore excitari incendia testantur, tristisque docet experientia, quod flagrantibus multis aedificiis spirare ventus incipiat, mox vehementior fiat, et flamine flammam augeat. Terrae, quid fiat, motuum theoria, ab igne subterraneo desumta, egregie monstrare videtur, sed cum ea dubiis adhuc laboret, nolumus hanc in rem pluribus disputare, praesertim cum persuadeamus nobis, assertionem a posteriori, quod aiunt, euentem, etiam a priori probari posse. Aer flammam premit et vrget, et vel tota sua mole, vel in particulas diuisus, ignis, qui est materiae aetherae motus rapidissimus, calore, quaquaersum expansus et dilatatus, ad vicina omnia grauius impingit, res e suo loco mouet, spatia ampliora quaerit, nunquam quiescit, sed agitatione perpetua mouetur. Oritur inde aeris quasi quaedam circulatio, vt ex eius vibratione vndisque aereis, in citiorem motum



rum abreptis, in distitis etiam locis saepenumero venti *a*) spirant. Quicquid enim motum aeri communicat, illud etiam aptum est, ventum suscitare. Ignis praeterea, cum omnia expandat corpora, et secundum *ВОЕННАА ВЪЗДУХЪ* *b*) expansio- nis ab eodem igne spatia inter se sint, ut raritates expansorum corporum, vel in ratione reciproca densitatum, aer, utpote omnium rarissimus leuissimusque, facillime expandi poterit. An vero eandem aeris agitationem etiam ignis, tormentorum strepitu excitatus, gignere possit, quaesitum est. Cum vero perpendimus, non vnâ alteramque bombardam explodi, sed saepe plures quam centum mille ex multorum praegrandi- um tormentorum, minorumque machinarum, tubis fulmi- nantes ictus in praeliis atque obsidionibus, intra breue tem- poris interuallum, et spatio, exigua regione circumscripto, fieri, ignemque inde continuum gigni, praeterea ignitos glo- bos maiores minoresque insigni vi ex resistentibus fistulis pre- mi, namque

rapidi tunc fulminis instar

*sphaerula tesserulis imas animata medullas,
aut scobae ferri elimata conspersa regentis,
mox excussa tonat, per terricrepe igne corruscet,
late urit, penetrat, labefactat, dissipat, aequat
cuncta solo, quacunq̄ue agitur, surit impete vasto:
pone micat veluti fulgur, disploditur ante
sidera celsa tremunt, tellus quatesacta vacillat
sub pedibus, resonant horrendis omnia hominibus; c)*

omnino inde aer mutabitur, atque antea quiescens mouebitur, vnoque fere momento

A 3

Armo-

- a*) Conf. BACO de VERVLAMIO in Histor. Ventor. edit. Oper. Franc. 1665. fol. p. 459. FRIDR. HOFFMANNI Diff. de Potentia ventorum in C. H. Hal. 1700. §. 7. p. 14. et SCHACHERI Diff. cit. §. 27. p. 48.
b) In Elementis Chemicæ To. I. p. 137. edit. L. Bat. 1732. 4.
c) Ita A. BOCCHIVS ex ARIOSTI carmine, quod legimus in 108. FRANC. ROTAE Tr. de Tormentariorum vulnerum natura. Franc. M. 1575. 4. cum ALF. FERRIO edit. p. 4.



*Armorum sonitum toto Germania coelo
Audiit. d)*

Immo licet tormentorum strepitum auribus non percipiamus, ex vehementi tamen vento, subito exorto, saepe praedictum est, hostes cum summa contentione inter se pugnare. Et coniecturam nos aliquando recte ex ventorum vi facere posse, vitimo hoc bello experientia, cum in vicinia nostra praelia committerentur, edocti sumus. Hinc etiam aestate, cum coelum tonat et fulgurat, tormentorum explosiones repetitae tonitrua pellere, ventum excitare, aerem ac coelum serenum restituere solent. Est alia, et certior fere, grauiorque causa, quae efficit, vt a bombardarum fulmine, siue igne, ventus oriatur, quam in medium protulit Cel. HOFFMANNVS, cuius verba dignissima sunt, quae hic legantur, praesertim cum Eius auctoritatem plurimos sequi videamus. Nitrum, ait, curiosissimo spectaculo ventum exhibet vehementissimum, quando nempe in crucibulo igne liquatur, et adicitur ipsi corpus sulphureum, tunc materia ista aetherea, quae concentrata in nitri sale magna haeret abundantia, in motum acta atque displosa, ventum efficit incunctissimum, igneum; e) Pergit idem: Pulueris pyrii stupendi effectus, cuius primum ingrediens est illud sal sulphureum, f) inflammatione elasticum, ventosum, non alia deriuandi ex causa sunt, quam quod

d) VIRGILIUS Georg. L. I. v. 474.

e) Conf. etiam BOERHAAVI Chem. To. II. p. 387. vbi legimus: si carbo ligneus ignitus leuiter in nitrum fuisum quicumque immittitur, ipso momento flammam concipit, et mouetur oberrando per totam superficiem nitri, imo extra crucibulum salis carbo ignitus. Et pag. 388. scribitur: ita oritur motus ingens, impulsus repulsusque.

f) Nitrum quidem, vt BOERHAAVIVS l. c. aliique existimant, non sulphureum sal est, et in adductis experimentis non nitrum, sed carbo flammam concipit, nitro tantum acceleratur consumptio materiae inflammabilis, et efficit, vt cum motu et strepitu combustilis materia flammam concipiat; sunt tamen et alii, qui ipsi nitro, eiusque praecipue acido spiritui verum inflammabile tribuant, quam sententiam, praeter alios, fouet IOH. COTT. WALLERIVS in Diss. de Origine et natura nitri Vpsal. 1749. pag. 5. et 7.

quod aetheris sub incendio impetuosissima actione ac rarefactione in acre ambiente maximum spatium vacuum et exhaustum fiat, in quod deinde maximo impetu et celeritate vastissima moles aeris ponderosissimi irrumpit, et durissima corpora de loco suo deiecit. Haec HOFFMANNVS, g) qui nos egregie docuit, aerem ab igne quasi nitrato, tormentorumque explosione ac pulueris pyrii virtute mutari, ventosque subito inde oriri posse.

§. III.

Cum vero belli tempore aer, non a temperiei solum vicissitudinibus, sed saepius singulari et extraordinario modo mutetur, moueatur, et in ventum abripiatur, causam etiam inde elicimus morborum amplissimam. Venti quidem, in se considerati, non semper nocent, imo saepius profunt, et tempore belli quoque, vt infra dicemus, causae morborum variae, excitatis naturalibus ventis, feliciter auertuntur et remouentur, nihilominus tamen suspectus nobis videtur ventus, arte quasi genitus et ad nos subito delatus. Nam considerantibus eum cum laudato HOFFMANNO a) ad duo, rō materiale et formale, sollicite attendendum est. Et formale quidem consistit in motu nunc celeriori, nunc debiliori, diutius breuiusque durante; materiale vero partes constituunt non aerae tantum, sed potissimum peregrinae, quae pro diuersitate regionum, ex quibus venti oriuntur, insigniter discrepant. Dum itaque ad rō formale respicimus, et motum aeris celerrimum, vno impetu factum, solemus perpendere, aequilibrium aeris sublatum esse, statim animaduerrimus. Hinc et australibus et septentrionalibus b) ventis, aliisque, ex quocunq; demum loco

g) Vid. Diff. cit. de Ventis §. 7. p. 15.

a) Diff. cit. §. 5. p. 11.

b) Auster prae caeteris ventis noxius dicitur, et e contrario Aquilo saluberrimus censetur. Vid. HIPPOCRATES de morbo sacro edit. cit. To. 11. p. 339. et Aphorism. Sect. 111. aph. 5. et 17. attamen hac in re nihil perpetuum est. Aquilo enim inflammationibus ac neruinis affectibus



loco originem ii sumant, ob repentinam, quam efficiunt; aeris perturbationem, quae, vt HIPPOCRATES c) dudum docuit; semper vitanda, quippe aer vehementius commotus quiescente validius vires suas exerit, siue noxias siue salutare, in primis si vel ratione caloris, vel frigoris d) euidens accidat mutatio; corpora ipsa eorumque actiones alterantur, et non modo catarrhi, rheumatismi, leuiores febres, sed et alia eaque grauiora mala, praecipue, si homines sint debiliores; generantur. In specie autem ventri, igne et calore excitati, nocent, dum atmosphaeram nimis leuem efficiunt; hinc enim vasa corporis humani, externa praecipue, debilitantur, humores ad eadem magis propelluntur, inde dilatantur, et obstructions alicuique morbi oriuntur. Verum de ventis in genere cerri quid determinare, et ad specialem eorumdem in genere cerri diuersi sunt, vim atque actionem attendere non possumus, sed ad ea modo, quae vel secum vehunt, vel adportant, respiciendum est. Aer enim, qui variis semper particulis impraegnatum est, ita, vt aptissime a BOERHAAVIO e) chaos rerum omnium permixtarum dicatur, copia earundem nec non indole magis

bus maxime inimicus existit, et hinc vere dixit BACO de VERVLAMIO Hist. Ventor. edit. cit. p. 451. *Flante Austro homines magis pigri sunt et hebetes, ast flante Borea magis alacres, sani, cibique audiores, phibisuris tamen nocet Boreas.* Ipse etiam HIPPOCRATES de Diaeta L. II. edit. cit. To. I. p. 213. docuit, propter situm regionum ac locorum, per quae venti ad singulas regiones accedunt, diuersas inter se fieri, frigidiores, calidiores, humidiores, sicciores, morbosiores, salubriores.

c) Praecept. edit. cit. To. I. p. 67.

d) Ventus quidem, vt Thermometrum docet, frigus non gignit, immo potius propter attritum calorem excitabit; ventus tamen corpus humanum refrigerare ideo solet, quia caloris excessum, et atmosphaeram calidam auferit. Conf. BOERHAAVIO Chem. To. I. p. 191. An nitrum frigus producat, dubia res est. Varias opiniones optime conciliavit WALLERIVS Diss. cit. de Nitro p. 21. dum dicit: *Videtur nitrum frigus producere, caloris particulas dissipando vel absorbendo, non vero possit frigus materiam constituendo.* Et quod de nitro valet, valebit etiam de puluere pyrio.

e) Chem. To. I. p. 495.

gis minusque nocius existit, et pro diuersa, quae continet, salium f) specie, multa et diuersissima corpori humano inferre poterit damna. Vere enim RAMAZZINVS g) dixit: *Talem possidemus sanguinem et sanitatem, qualis aer est, in quo vivimus.* Peregrinis autem particulis grauidus aer ventorum quidem auxilio optime emendatur, cum, quae poterant obstaculo sanitati esse, aere, ab exhalationibus depurato, remoueantur. Enim vero saepe ab eiusmodi locis ad nos venti perueniunt, quae malignis halitibus referta sunt, et paludes, terrasque stagnantibus aquis perfusas transeunt, hinc, cum venti secum aerem cum omnibus suis contentis de loco in locum ferant, eam, quam absument materiam, ad loca alia iterum deportant, et quod est certo loco proprium auferunt, recensque allatum eidem semper restitunt, imo eundo quasi nouas vires acquirunt. Hinc vel ideo saepissime nocent venti, h) morbisque occasionem praebent aptissimam.

§. IV.

f) Hinc vbi carbones fossiles magna copia incenduntur, frequentissimi sunt pulmonum morbi; hinc adeo nocent vapores, qui ex parietibus domus, recenter calce obductis, exhalant; hinc BOERHAAVIUS scribit: *Coelum, anni tempestas, solum, mare, montes, vapores, exhalationes et s. p. aerem ita permutant, vt creet morbos, non pendentes adeo ex ipsa aeris indole, eiusque doctibus, quam quidem ex natura et efficacia admitti, vnde etiam inde inquiri et intelligi debent.* vid. Institut. Medic. §. 752. Conf. quoque FRANC. TH. VAN ZELST Diss. de Effluuiorum efficacia, L. Bat. 1730. in qua de illis praecipue egit effluuiis, quae ex terra prodeunt, et humanum corpus laedunt.

g) De Constitut. Epidem. §. 10. edit. Oper. p. 163.

h) Idem egregie probat, quod in DIOGENE LAERTIO legimus: Scilicet in Rubigali morbo, quo laborabat Agrigentinus ager, EMPEDOCLES hoc remedium inuenit, vt iuberet ad colles et montium vertices, per quos venti stabant, vtres et animalium coria, tanquam propugnacula quaedam, admoueri, quo remedii genere cum ventorum ferociam compellisset, dictum esse *καλοσαρέμειον*, laudatus LAERTIUS in Vita Eius restatur. Hinc etiam M. VARRO de Re Rust. L. I. c. 4. edit. Gefner. p. 151. asserit: Pestilentia caueri vix potest, nisi oclusus ianus ac fenestris meridiei obuersis, aequae tantum per fenestras, Aquilonem spectantes, admittatur. Et licet W. H. WALDSCHMIDIUS in Diss. de Singularibus Pestis Holfatiac, Kil. 1721. edit. aerem ventosque a cul-



§. IV.

Quo magis itaque aer a sua natura discedit, eo insalubrior ille, quiescat an moueatur, homini existit. An aer, et quidem ventosus ille, tempore belli ideo nociuus esse possit, quia tanta nitrosarum particularum copia atmosphaeram occupat, eandemque alterat, neutiquam determinare valemus, imprimis, cum nondum certo constet, an nitrosum, an vitriolicum, illud sit primigenium quasi sal, quod secundum naturam in aere continetur, et in terram, eandemque inhabitantia corpora vim suam actionemque exercet. Respiciamus potius ad eam aeris qualitatem, quae omnium semper habita fuit nocentissima, et quam in putredinoso deprehendimus. Omne enim putre, si rebus, quae putrescere possunt, admisceatur, eas contagione inficit, ac eodem modo corrumpit. In harum autem numero corpus est animale. Animalis namque machina alcalini volatilis salis quasi est officina, omniaque fere in naturam alcalescentem mutat alimenta. Si ergo putrida, aeris et ventorum ope, applicantur corpori, suam seruabunt naturam, nostrosque humores in alcalinam putredinosam indolem convertent, ac eandem ad omnes partes promouebunt. Eiusmodi autem aer cum alimentis assumtus cardialgias, diarrhoeas, pulmonibus haustus dyspnoeam, phthisin, sanguinem ingressus humorum attenuationem nimiam, solidorum destructionem, febres ardentes, inflammatorias pestilentiales et alia mala ^{a)} excitabit. Putridis autem particulis impraegnatum aerem belli tempore facillime oriri, atmosphaeram totius fere regionis, vbi bella geruntur, putrido miasmate imprae-

pa pestis liberare voluerit, idque vel exinde patere pag. 5. scripserit: quod quamuis an. 1712. per Iunium et Iulium, quo contagium in vicinia vigeat, aquae in lacu salso, urbem ab occidentali plaga alluente, propter stagnationem computruerint, atque insignem factorem per aerem sparserint, nihil tamen inde contagii, aut ad id facilius suscipiendum dispositionis, tempestate licet calidissima, acciderit. Verum his coniecturis obstant experientiae omnium temporum frequentissimae, torque tristibus exemplis dudum stabilitae.

a) Conf. de la FOSSE Diss. cit. §. 60. p. 26.



impregnata esse, atque ventis, praecipue post praelia exci-
tatis, ad alia loca ferri, facile est ad intelligendum. Ad ca-
dauera primum respiciamus, quorum

*Corpora vertuntur, nec quod fuimusue sumusue:
cras erimus, b)*

ac in terram rediguntur, vt LVCRETIVS dixit:

*Cedit retro de terra, quod fuit ante
in terras. c)*

Quae mutatio per putrefactionem absolvitur. Hinc dum
vbique et copiose inueniantur mortua, horum salia, per pu-
trefactionem alcalina volatilia reddita, aerem inquinare, vi-
uentibusque non possunt non noxam inferre. Legibus qui-
dem constitutum est, vt profunde corpora humentur, ne tam
cito, neue copiose putridi halitus inde exspirare queant; ve-
rum silent inter arma optimae leges, atque cadauerum, in
praeliis interfectorum, sepultura vel negligitur,

*Multaque humi inhumata iacent,
Corpora supra corporibus, d)*

vel nec satis alte, et quasi in superficie terrae conduntur. Im-
mo non modo post cruenta praelia id fieri solet, sed et in
obsidionibus diuturnis, et vbi nosocomia sunt, sepulcra vulgo
vel non profunda fiunt, vel plura in vnam fossam cadauera
coniiciuntur. Hinc igitur copiosae et perniciosae putridae
exhalationes e) prodeunt, et eiusmodi regio

B 2

sacnam

b) OVIDIVS Metamorph. L. XV. v. 215.

c) de Natur. L. II. v. 1175.

d) LVCRETIVS L. VI. v. 1213.

e) Corpora caesorum inhumata ipsam aeri pestem communicare posse, do-
cuerunt plurimi, quorum multos allegatos vid. a C. F. GARMANNO
de Miraculis mortuorum, Dresd. 1709. 4. p. 346. Expugnatione vrbis
Romae hominum et iumentorum cadauera semisepulta funestam dedere
pestilentiam, vt historici narrarunt. Hinc oraculum quoque apud THY-
CYDIDEM L. II. §. 54.

*Doriacum venit bellum, vna et pestilis aer,
sive vt legitur in Edit. Oxon. 1696. fol. p. 114.*

Doriacum venit, loius comitante duellum.

Quo



faciam exhalat opaca mephitim. f)

Id quod eo facilius assumimus, cum etiam sepulchra bene munita, suspecta g) tamen semper sint, praelio autem facto humana

Quo de vaticinia, ipse Auctor affirmavit, non *λεπρός*, sed *λαίμαξ* esse legendum. Cum quo loco egregie convenit ille HOMERI Iliad. L. I. v. 61.

Namque simul bellum domat una et pestis Aethiōs.

Historia, a cl. PARAEO tradita, digna est, quin hic legatur. Peccat aer, putredine infectus, et cadaerosus, qualis an. 1562. in Gallia ex multorum hominum insectorum, in puteum, centum vinas altum, projectorum, post duos menses fuscatus est; ut multa inde millia hominum passim per totam Agenensium provinciam, tanquam peste, interierint. Vid. Oper. Chirurg. L. X. c. 13. p. 349. ISB. DIEMERBROECKIUS quidem cadauera putrescentia pestem non generare, asserit, refertque in agro Iuliacensi 1642. post maximam stragem factam, corpora inhumata sub dio computruisse, magno cum foetore, nulla tamen peste infecta; idemque alias saepe contigisse, historiam testari, affirmat; concedit tamen, morbos ex foeda cadauerum putredine oriri putridos, malignos et pestilentes priuatos Conf. Tract. de Peste L. I. c. 8. p. 31. edit. Oper. Ultrai. 1685. fol. Hinc mortuorum animalium habitus mere venena appellauit GEORG. CHEYNAEVS de Sanitate infirmor. tuenda c. I. §. 7. p. 16. edit. Paris. 1742. 8. et P. SALIUS de Febre Pestilenti. c. 20 inquit: *Certe a cadaueribus, siue humanis siue aliorum animalium, deterrimae inter omnes exhalationes atolluntur.* Quae in contrarium a multis adducitur, ab ALEXANDRO BENEDICTO de Peste c. 6. p. 66. enarrata, historia, medicum nimirum in Creteni peste canes omnes necari et per plateas dispergi iussisse, eorumque fetore ciuitatem sanitati restitutam; et quae a PARAEO L. 21. de peste c. 6. aliisque de foeculentium animalium et latinarum olfactu, tempore pestis salubri, sunt tradita, haec, inquam, omnia fabulam reddent, atque ab aliis dudum fuere refutata. Conf. CASP. A REIES Elysius Quaestionum Campus, Bruxel. 1661. fol. qu. 66. p. 523. et inprimis Cel. G. G. RICHTERI Diss. de Cura Magistratus circa ciuium salutinem §. 6. p. 23. Goett. 1758.

f) Quod de Valle Amfancto in Hirpinis cecinit VIRGILIUS Aeneid. L. VII. v. 84.

g) Sunt enim, ut GARMANNVS L. C. L. II. Tit. 8. §. I. asserit: *Putredinis gymnasia, insectorum foecidorum delubra, omnigenique denique putoris horrea, habitat hic narium, visus et linguae pestis.* Hinc Vespillonem senem nullum se vidisse, scripsit RAMAZZINVS, dum enim in astra, cadaueribus semipuridis plena, descendunt, aerem hauriunt sepulchralem,

mana brutorumque animalium cadauera, eodem in loco per multos saepe dies derelicta, inueniamus; tunc enim

Omnia languor habet, sylvisque, agrisque, uisque

Corpora foeda iacent, utiuntur odoribus aurae. h)

Praererea si ad bellum attendamus, non modo cadauera, quatenus ut mortua corpora aerem inquinant, considerare, sed et porro notare debemus, eadem plerumque vulnerata, i) vulnerumque plurima, non acuto instrumento inflicta, sed plumbeis etiam ferreisque globulis, per tormenta eiecctis, collisa esse. Haec autem omnia celeritatem experiantur corruptionem, et ut PETRVS PIGRAEVS k) asseruit: *quae scloporum icctu intereunt, putrefactioni magis obnoxia sunt, quam alia, quom-*

B 3 cum-

obralem, summe perniciousam, de Morbis Artific. c. 17. edit. Oper. p. 541. Hinc de omni coemeteriorum terra, in qua iacere et computruere corpora, BACO DE VERVLAMIO affirmant, eandem quasi contagium acquirere, ut cadauer recens impositum consumat longe citius, quam terra pura. Vid. Sylu. Syluar. Cent. IV. no. 330. edit. cit. p. 824. Conf. MICH. ALBERTI Diss. de Sepulchrorum salubri translatione extra vibem. Hal. 1743.

h) OVIDIVS Metamorph. L. VII. v. 549.

i) Putant quidem nonnulli, vulnerata corpora, quibus sanguis omnis effluxit, dispositione ad putredinem destitui; ast, licet effluxerit sanguis, alii tamen restant humores.

k) Epitome Praeceptor. Medic. Chirurgiae Paris 1612. 8. L. IV. c. 18. p. 408. Nolumus nunc disquirere, an tormentorum vulnera, tanquam igne combusta et venenata consideranda sint, quorum alterutro fautores, qui subscribant, non desiant; ut FRANC. PLAZZINVS Tr. de Vulneribus sclopetorum, Patav. 1605. 4. utrinque autem a BARTH. MAGGIO de Vulnerum sclopetorum curatione, Bononiae 1552. 4. et CAES. MAGATO de rara Medicatione vulnerum, edit. Francof. et Lips. 1733. 4. L. II. App. p. 165. aliisque bene negatum, et eiusmodi vulnera, ut contusa modo consideranda, demonstratum fuit. Forte sclopetis vulnerata corpora illis similia sunt, quae fulmine tacta fuerunt, quorum quidem corpora *inrupta* dixit PLVTARCHVS Sympof. L. V. qu. 10. et cui assensum praebuit a REIES Libr. cit. Qu. 34. p. 244. ac ante eum IVN. PAVL. CRASSVS Quaest. Natural. et Medic. edit. cum Medicis antiquis Basil. 1581. 4. qu. 34. p. 105. Verum, ut nobis videtur, rectius cum SENECA Quaest. Natural. L. II. c. 31. eiusmodi quam facillime verminare, siue, quod idem est, putrescere, asserimus.



cunque etiam morbi genere percant, praecipue si breui post vulnerationem tempore illa moriuntur. Sunt aliae quoque rationes, quae clarissime docent, putredinem subito fieri posse. Motu enim ante mortem laborioso corpus exercent milites, et hinc, prout animalia, longo itinere delassata, ostendunt, mixtionis principia laxant, faciuntque, ut celerius putrescant. *l*) Idem accidit, sana sint corpora, cibisque ante mortem repleta, sint emaciata, morboque castrensi tentata. Vbicunque ergo cadauera copiosa exhalationes, ex putredine ortas, emittunt, salis volatilis alcalini *m*) spicula aeri, et per eundem nostro corpori applicantur, quae solidis destructionem communicant, humorumque mixtionem corrumpunt; quae princeps videtur ratio, cur belli tempore febres grassentur malignae.

§. V.

Non solum autem mortuorum corpora aeri contagium communicant, sed etiam in castris, nosocomiis, urbibus et vbique aer et aqua belli iniuriis deprauari solent. Aquae enim in locis, ubi aestiuo tempore et castra sunt posita, et diutius per plurium mensium interuallum habentur, a sua bonitate recedunt, ambientemque aerem exhalationibus corrumpunt,

l) TH. WILLISIVS de Morbis conuulsivis C. 10. edit. Oper. Geneu. 1694. 4. To. I. p. 114. asertum nostrum egregie illustrans recensuit exemplum: foeminae scilicet, cuius cadauer, propter musculos, spasmodicis perpetuis exercitus, licet valde emaciatum fuerit, citissime tamen computruerit.

m) Huius salis, putredine nati, praesentiam in dubium quidem vocare voluit Cel. FRINGLE Philos. Transact. no. 495. attamen non simpliciter id negavit, immo ipse putridorum effluuorum virtutem notauit, hominemque ex inspiratis, a sanguine putrido exhalantibus, effluuiis dysentericum euasisse, vidit. Conf. Obseruat. on the Diseases of the Army and Garrison etc. Lond. 1752. 8. p. 271. Alcalinum volatile putredinis productum esse, clare etiam docuit BOERHAAVIUS Chem. To. I. p. 803. Hinc RAMAZZINVS de Morb. Artific. edit. Oper. p. 641. alique ante eum, morborum castrensiu causam minus recte acidum volatile corrosiuum statuerunt.

punt, efficiuntque, vt febres acutae, dysenteriae et f. p. a) oriantur, quibus non solum magna exercitus, verum etiam vicinorum incolarum pars afficitur. Etenim

Vitium capiunt, ni moueantur aquae. b)

Aquas vero saepius ad castra stagnare, notissima res est, idque fossae, iis in locis factae, satis testantur. Stagnando autem aqua putrescit, et, inprimis si calor accedat, exhalationes malignas, putridasque c) emittit. Idem accidit in vrribus et pagis, cum in riuulos, lente se mouentes, eiusmodi res inuiciantur, quae per se facile putredinem concipiunt. Sordes enim in bello vbique regnant, et latrinae, cloacae, sterquilinia et stabula riuulorum fontiumque aquam ac aerem inquinant. Et cum munditiei maxima vis sit in sanitate tuenda, eademque, vt bene existimant IO. BAPT. CORTESIUS, d) ac praecipue SCIPIO MERCURIUS, e) ad rerum non naturalium ordi-

a) Conf. IO. ZACH. FLATNERI Progr. de Pestiferis aquarum putrescentium expirationibus Lipsi. 1747. et IOH. HENR. OLDE Diss. de Morbis ab aquis putrescentibus L. Bat. 1748.

b) OVIDIVS de Pont. L. I. Eleg. 5. v. 5.

c) Legi inprimis meretur IO. MAR. LANCISIUS de noxiis Paludum effluuiis, qui clare ostendit, plurimos endemios morbos aquis stagnantibus putridis natales suos debere, qui exsiccatis stagnis sponte cessant. Quae etiam causa fuit, cur RAMAZZINVS pratenfes regiones non satis salubres esse affirmaret, variosque morbos eorum notaret, qui circa prata habitant, legemque suaderet, vt cuius prohiberi possit, ne vicinus agrum suum in pratum commutet. De Morb. Artific. c. 38. edit. Oper. p. 628. Cum Nilus terram inundauit, qui in Aegypto ad fluum habitant, pestem experiri solent, vt DAPPERVS in Descriptione Africae p. 127. refert. Immo Lugd. Batavorum morbum contagiosum, ex Rheni veteris inundatione ortum, memorauit FRIDR. HOFFMANNVS Diss. de Temporibus anni insalubribus, Hal. 1705. §. 10. p. 13. Hinc FLATNERVS Progr. cit. scripsit: *Ex omnibus putrescentibus nil feve putidius est, quam palus, si eius aquae, et cum his varii generis plantae, animalia, prae caeteris insecta, corrumpuntur, et totum halitum expirant.*

d) Vid. Eius Miscellan. Medic. Messanae 1659. fol. Dec. V. c. 8. p. 229.

e) In libro, qui inscribitur, de gli Errori Popolari d'Italia, in Padova 1645. 4. L. Vll. c. 9. p. 454. Quid mundities ad sanitatem et tuendam



ordinem commode referri possit ac debeat, sordes, propter bellum ex necessitate quadam accumulatae, corpori ruinam inducere, facile intelligimus. Quod enim alias in magnis urbibus fieri solet, ut aer, plurimis vaporibus turgidus, insalubrisque existat, id etiam accidit, quando ingens militum equorumque copia ciuitates inhabitat, inque iisdem diutius fedet. Tum enim cloacae, f) quae intra et extra aedificia sunt, imprimis si earundem opportuna repurgatio riuiulorum affluxu impetrari non potest, vel riuli lente mouentur, nec id, quod acciperunt, secum auerunt, sed relinquunt, nec non viis publicis plateisque imposita excrementa, quae visu grauius sunt, et odoratu foetida, immo stabulorum frequentia, in quibus ipsis et circa ea ex equino stercore et stramentis montes simi ingentes acruantur, nec per plures menses loco moueri possunt, efficiunt, ut putridis halitibus, densisque quasi ac calidis fumis aer impraegnetur. Quae quidem omnia cum ipsa platearum sentina in bene constitutis ciuitatibus transportantur, laudabilique quorundam Magistratum cura fieri solet, ut nihil sordium in plateis subsistat stagnetue, in bello tamen et negligentia ciuium, et eorum, qui iis praesunt, et adimniculorum saepe defectu, diu g) relinquuntur, accumulaturque,

dam et restaurandam conferat, optime docuit I. Z. PLATNERVS Diss. de Morbis ex immunditiis, Lips. 1731. Et in nulla re aequius ad rescindendas in ortu morborum causas Magistratum curam versari, quam in munditie urbium, bene ac vere asseruit RICHTERVS Diss. cit. §. 6. p. 19.

f) De his generatim, et quomodo per eas, curiosius constructas, ciuium valetudini a Romanis consultum fuerit, legi meretur PLATNERI Diss. cit. §. 6. p. II. nec non A. G. PLAZII Diss. de Sapitatis publicae obstaculis, Lips. 1753. §. 3. p. 9. Singularis est obseruatio RAMAZZINI, qua scimus, Forficariorum plures, immo omnes, propter cloacarum exhalationes, vel luminibus semicaptos, vel proflus coecos esse. Vid. de Morb. Artific. c. 13. edit. Oper. p. 515.

g) Audiamus hac de re saepe citatum Ill. RICHTERVM qui l. c. §. 7. p. 26. scribit: *Decet sentinam platearum diligenter, et mane quidem aesti-*
uis



turque, ac dum verno inprimis tempore eiusmodi colluuias radiis solaribus soluitur, et

Vere nouo gelidus canis cum montibus humor

Liquitur, et Zephyro putris se gleba resoluit, h)

motu intestino excitato eleuatur, res in commune ciuitum cedit exitium. i) Calor enim iam per se humores nostri corporis foetidos et putrescentes reddit, k) quod eo certius ac facilius fiet, quando cum calore putrida materies corpori applicatur. Praeterea etiam nosocomia, quae curationi militum inferuiunt, quaeque saepe imprudenti consilio intra munia extructa sunt, etiamsi frequens eorundem inspectio et repurgatio suscipiatur, perniciem tamen adferunt, morbiq; in istis regnantes, non modo ad medicos, chirurgos, aliosque, qui eadem intrare debent, sed ad ciues quoque migrant, eorumque sanitatem laedunt, l) immo morbis, quibuscunq; defuncta corpora, ex nosocomijs delata, m) saepe aliis eadem mala communicant. Non solum autem per extructa ampliora

suis diebus, vespere hyemalibus euebi, idque lente et rectis curribus, non indulta mensium mora, ut apud nos uuper in summa immunditie, multorum morborum feraci, factum est.

- b) VIRGILII Georg. L. I. v. 43. Conf. et PLATNERI Diss. cit. de Immunditie §. 6. p. 10. et OLDII Diss. cit. §. 17. p. 16.
- i) Conf. INPRIMIS DIEMERBROECKIUS, qui ex sordium cumulatione febres malignas et pestilenciales inductas fuisse, retulit Tract. de Peste, edit. Oper. p. 154.
- k) Vid. BOERHAAVI Chem. To. I. p. 276, ubi, ut solet, egregie docet, quomodo aer calidior acutissimum morbum ocysissime fulciter.
- l) Conf. PLAZII Diss. cit. de Sanit. publ. Obstac. §. 5. p. 17.
- m) Qua de re, eadem de ciuitate nostra dicere, durante bello, potuimus, quae Cel. RICHTERVS Diss. cit. §. 8. p. 34. de Goettingensium mouit; dum scripsit: *Vidimus a Gallis stabilita in hac vrbe nosocomia in terra breue tempus ultra aliquot funerum millia extrulisse, et ob cadauerum, quibus magno simul numero in vnum tumultum illaris, terrae parum instratum fuit, sepulcrum nimis pronidam, minus ab vrbe remotam, nobis incertam non exiguum iniicisse, cum non ii solum, quibus cum illis locis crebro ingressu egressuque commercium esset, sed et vicinae domus per ipsam biennem grauius laborarent, ut etiam rumor epidemii et contagiosi morbi nasceretur.*

C



ra nosocomia morbi multiplicantur, sed cum militibus quoque, in hyberna concedentibus, in vrbes pagosque importantur febres malignae alique morbi, in castris plerumque regnantes, dumque homines in tentoriis ac hypocaustis gregatim vitam degant, sibi que quasi iuicem accumbant, saepe solet accidere, vt plures inde aegrotent ac moriantur; prout eiusmodi triste exemplum in villa, *Trebitz* dicta, praeterito anno obseruauimus, vbi testantibus Actis, et Physico Schmeidebergensi STOLLIO febris continua maligna in vna hac villa, et vno eodemque tempore, scilicet die 23. Mens. Febr. centum fere personas lecto affixerat, nulla alia ex causa, quam quod castrensis morbo laborantes milites incolarum angusta, humiliora, aeremque aptis emissariis non transmittentia domicilia die 12. Mens. Ianuar. occupauerant, et morbosus vaporibus compleuerant. *n*) Eo maiora autem damna extirpanda sunt, quoniam ab eiusmodi exhalationibus nosmet defendere, eademque aptis antidotis mutare atque corrigere vix valeamus. Alia quidem ab his, ab illis alia laudantur. Praecipue ignis, in liberiori aere accensus, vt VIRGILIUS o) recinit:

omne
uni ob...
 *) Eiusmodi etiam morborum, Schmeidebergae epidemice grassantium, ortus fuit atque causa, vt Cl. PEZOLDVS, Illustrissimi Comitis LOESERI Medicus, Amicus noster, retulit, qui aegrotis, ibidem morbo maligno laborantibus, laudabilem operam praestitit. Ex in nostra Musaeum sede saepius experti fuimus, aegrorum numerum tunc imprimis auctum esse, cum milites, nosocomiiis cuiusque hypocaustis de nouo illati, nouam morbis generandis materiam adportarent.

o) Georg. L. I. v. 86. Conf. etiam AERIVS Tetrabl. II. Sect. I. c. 94. ORIBASIVS L. VII. c. 21. et PLINIUS Hist. Nat. L. XXXVI. c. 27. scribit: *Est et ipsis ignibus medica vis; pestilentiae eius suffitus multiformiter auxiliari certum est.* NATH. HODGES in Histox. narrat. Pests in apud Populum Londinensem, Lond. 1672. 8. edit. Sect. I. p. 24. et Sect. II. p. 26. Consilium, de ignibus, in plateis extruendis, initum minime probauit, sumptuosamque hanc aeris depurationem superuacaneam esse, asseruit, rationem addens, quod aer purus, putus, et illibatus existerit, pestis vere mediante contagio, quo Hollandia laborauit, insulari inuasit.



omne per ignem
 Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor.

atmosphærae gravitatem et intemperiam alterat, noxiosque crassos et malignos vapores exturbat, immo ipsi laudabiles communicat balsamicasque partes. Verum non ubique loca igne depurare possumus, quam ob causam alia, ut aeris vitia emendentur, excogitanda et adhibenda erunt auxilia, ne, ut est in proverbio, in charybdin deuoluamur, dum scyllam vitare nitimur.

§. VI

Et enim igne ligna consumuntur. Et cum belli tempore ramis arborum palarumque fasciculis miles tentorium, quasi sepimento quodam, vallet, aggerumque modo vias contra pilarum iactus præmunire soleat, aliasque ob causas, fusius iam non recensendas, iisdem omni modo parcendum erit, ne plura nouaque damna emergant. Non enim vnâ, multiplicem potius, vtilitatem humano generi adferunt arbores videntes virentesque, quæ tunc demum euidentissime adparet, si nemora, eademque ampliora, deuastata, non sine iusto dolore, intueamur. Hinc omni tempore magni syluæ aestimatae sunt, eisdemque non homines a) tantum, sed Dii quoque inhabitarunt. Erat opaca nemus Numinis templum, et ipsæ arboris diis consecratae sanctitate eminebant. Mortuorum tumulos olim in syluis solebant erigere, ut ab hominum frequentia remoti, et diutius seruantur, et, quod sibi quidam persuadebant, Dii manes religione ipsa tuti essent. Sapienter etiam syluas, propter insignes alias vtilitates celebrarunt antiqui, quorum vestigiis omnino insistendum esse videtur. Nam arbores, proceriores inprimis, ex terra et aere suos hauriunt succos, sicque humiditatem nimiam, eamque hominibus

C 2

mole-

a) Ita Scytharum Argippacos sub arboribus inenbasse, HERODOTVS L. IV. no. 23. edit. Gronou. Arimphaeos, Asiae. populos, nemora pro domiciis, Arabesque arbores pro Tuguriis habuisse, FLINIUS L. III. c. 12. et L. VI. c. 13. tradiderunt. Alia et plura huius rei exempla allegata vid. in IO. BAPT. PORTÆ Villa L. I. c. l. p. 3. edit. Francf. 1592. 4.



molestam, mutant et auferunt, terram paludosam exsiccat, vaporesque, ex aere praecipitatos temperant ac destruant. Et quanquam quod ex terra hauserunt, perspiratione iterum eliminant, insensibilem tamen illum halitum egredientem, non aquam, multo minus aquam putredinosam, corruptamque esse, qualis antea fuit, sed subtilisatam, resolutam, spirituosam, immo fragrantissimam *b)* saepe, balsamicam, aliisque medicatis virtutibus impraegnatam materiam, vegetationis historia, rorisque natura satis docent. Rorem vulgo nocentissimum *c)* dicunt, quod tamen in genere affirmari non debet, quoniam roseidae illae particulae, e plantis egressae, ac aerem occupantes, salutare potius sunt et laudabiles, vt Manna aliaque eiusmodi vegetabilium producta ostendunt. Immo quamuis perspirabilis haec materies maxima ex parte aquosa esse videatur, nullum tamen incommodum inde metuendum. Etenim aqua, in atmosphaera altius assurgens, ac in minores particulas secedens, aerem siccum *d)* ferenumque efficit, ideoque ex processis ac summis arborum ramulis exeuntem, tenuem, resolutamque materiam altius ascendere, ac aerem, nos ambientem, inferiorem minima humiditate impraegnare posse, summa probabilitate concludimus. Affirmant plerique in syluis spissum, nebulosum, et quasi suffocatum aerem esse, quoniam sub vmbra

b) Hinc bene scripsit BOERHAAVIUS El. Chem. Tō. I. p. 484. *Fusi per Oceani vasta de odoratis stirpibus halitus ostendunt nautis, continentem, nec dum cernentibus, propinqua litora.* Et, vt fertur, nautae, triginta vel quadraginta milliaribus ab oris hispanicis remoti, odorem Rosmarini, copiose ibidem crescentis, vel Cinnamomi ex Insulis Ceylanicis, naribus percipiunt. Conf. BOCONIS Sylv. Sylvar. no. 834. edit. cit. p. 928.

c) Inter omnes humiditates nullam magis noxiam esse rore, dum omnis generis exhalationes, calore solis volatiles redditas, iterumque in terram maxima copia praecipitatas, afferat, de la FOSSE Diss. cit. §. 54. p. 23. asseruit. De noxia roris qualitate egit quoque BOERHAAVIUS Chem. Tō. I. p. 470.

d) Conf. BOERHAAVIUS l. c. Tō. I. p. 468. quo loco etiam scribit: *numquam plus aquae in atmosphaera, quam illo tempore, quo ob siccitatem in infimis omnium minimum adest creditur.*



bra sylvarum exhalationes non dispergantur, recepti imbres aliaeque humiditates diutius conferuentur, faciliusque, si calor accedat, putredinem nanciscantur; et humentis aeris mala, regionum, quae syluis abundant, incolae e) maxime sentire, quod seri copia accumulatur, huiusque inter laxiora vasa stagnationi ansa praebetur, tonus etiam parvum f) propter ingentem ex ultimis arborum ramulis foliisque exhalantem aquosi principii copiam, eneruetur. Eam ob causam legimus, antiquis in usu fuisse, vel succisione, vel exustione sylvarum aerem innocuum salubremque reddere, et nemoribus inclusa loca corrigere. Nullum quidem est dubium, quia loca alia prae caeteris magis salubria vel insalubria sint, immo lubenter concedimus, aliam rationem esse montosarum, ac liberioriventorum afflatui expositarum regionum, aliam vero earum, quae vliginosae sunt, umbrosae, sylvisque inclusae. Attamen neque in genere noxias sanitati esse sylvas, earumque aerem, neque in specie de nostris regionibus idem valere affirmamus. Sylvae a summo Creatore copiosae vastaeque primo mundi tempore sunt conditae, easdemque inhabitarunt primi homines, longaeui facti, omnibusque morbis fere immunes;

C 3

e) Hercyniae et Thuvingiae sylvarum incolae e. gr. strigoso, pallido, ad marasimum et hecticam inclinante corporis habitu conspiciuntur, ut refert BERNERVS l. c. §. 81. p. 181. idque, ut addit, ob frigus et vapores, quibus aer refertus corpora inhabitantium afficit. Incolas Europaeos, qui loca Americae primi obsidebant, omnes fere morbo endemio perisse, idque praecipue illis accidisse, qui loca incolebant arboribus fruticibusque obita, relatum accepimus. Conf. BOERHAAVIUS Chem. To. 1. p. 620. CHEYNAEVS l. c. p. 19. et I. C. RIEGERI Introductio in Notitiam rerum natural. Hag. Com. 1743. 4. To. I. p. 263.

f) Conf. de la FOSSE Diss. cit. §. 54. p. 23. qui ea omnia, quae ab aere, humiditate nimia abundante, hincque simul grauidi, in C. H. orientum mala, curiosus recensuit. Huc quoque pertinet, quod de temporibus pluviosis HIPPOCRATES et GALENVS affirmarunt, dum ille Aph. 16. Sect. 111. dixit: in pluviosis morbi fiunt plerumque febres longae, fluxiones alui, putredines, comitiales, siderationes et anginae; et GALENVS in Comment. Aph. 2. Sect. 111. pluviosis temporibus morbi fere fiunt febres longae, alui fluores et putredines.

munes; immo et tunc mediis in syluis villas deprehendimus, quarum possessores humidi inclusique aeris nulla incommoda sentiunt. In syluis iisdemque maxime umbrosis viuunt ferae sanae vegetaeque. Vbi ampliori densiorique comâ florescent arbores, et inter se quasi cohaerent, deciduus ros et imber descendere, terramque humectare vix vel parum poterit, hinc sicca potius, quam humida, sunt terrae strata, et quicquid cadente copiosiori pluuia transit fundumque attingit, id omne statim a siticulosa terra, eidemque implantatis radicibus absumitur, atque omne humidum absorbetur; hinc multum abest, vt paludibus generandis occasionem praebent syluae, vt potius cum Ill. RICHTERO, g) dicamus, *paludum prope vrbes inexplugnabilium noxam plantatis lucis syluisque coerceri, ac inter anfractus et cacumina arborum percolari aeris sordes*. Id quod eo certius fieri potest, cum syluae leui vento vt plurimum moueantur, foliaque sua lenitate ac mobilitate silentes auras excitent, aeremque densum ac nebulosum ibidem subsistere nequiram patiantur. Praeterea singularem vsum quandoque hominibus syluae praebent, cum per ingens interuallum extensae, ventos meridionales aliosque, nobis insaluberrimos, auerunt, atque ad aeris euitandam contagionem optime profunt. Nemo sane dubitabit, *suauiissimum aerem, vt scribit R. W. KRAVSIUS, h) quem syluae frequenti Pino, Abiete, aliisque arboribus, imprimis resiniferis, consistae vere et aestate spargunt, sanitati conseruandae, diuersisque morbis oppugnandis egregie inseruire*; Etenim, vt diximus, non aquosi halitus, sed balsamicae praestantissimaeque perspiratione arborum aeri communicantur particulae. Quamuis hoc de omnibus nemoribus dici non possit, sed aquosa perspirabilis materies a nonnullis egrediatur, tamen inde non maiora, quam ab aliis vegetabilibus perspirantibus metuenda incommoda esse, non sine ratione existimamus.

Cum

g) Diss. cit. §. 7. p. 32.

h) In Progr. de Pinetorum salubritate Jen. 1712. p. 4. Quae certe magis vera sunt, quam ea, quae in DIO SCORIDE edit. Sarsc. Libr. IV. c. 80. de Taxi umbra, hominibus, illi indormientibus, exitiali, aliarumque arborum noxiis effluuiis annotata legimus.

lum

Cum enim stupenda plantarum copia ubique prata et arua occupet, copiososque halitus emittat, nullaque inde noxa sanitati inducatur, perspirantes etiam sylvas aut prodesse nobis censemus, aut, si minus prosint, noxias tamen hominum sanitati non esse. Hoc vero maiori cum fiducia affirmamus, quando ad nostras regiones mentem oculosque dirigimus. Non enim sylvis circumsepti atque inclusi haecenus viximus, sed et parciores et minus umbrosas, quae nec arcent, nec admittunt ubique lucem, obtinuimus, easdemque in planiori vel elevata terra locatas inuenimus; hinc sufficiens liberumque spatium adfuit, quo vapores, si necesse videatur, undique vagari, et apte circulari, non vero densissimis nemoribus, altissimisque montibus inclusi retineri, concentrari, colligi, atque praecipitari debeant. Possemus etiam alias, quae sylvae praestant, utilitates ⁱ) recensere, nisi ex instituti ratione animalis tantum corporis habenda nobis ratio esset. Animaduersione tamen digna adhuc sunt sylvarum destructarum rudera. Resecantur namque arborum modo trunci, radices autem terra inclusae relinquuntur, quae, dum ex terra nullum humorem amplius insugunt, et ipsae corrumpuntur ac putrescunt, et pristinas salutares aeris dotes alterant inuerruntque, immo dum in deaestatis syluis aliae plantae parcius crescunt, aquosae, ibidem collectae, partes paludibus generandis occasionem praebent. Denique arborum syluestrium fructibus homines et bestiae vescun-

ⁱ) Egregie huc pertinent ea, quae Ill. LINNAEVS de sapientia Summi Numinis circa arborum crescendi modum annotauit; scripsit enim: *Caulis arborum in altum arcolis ramos, haud raro gerentes plura millia gemmarum, quae singulae totidem constituunt herbas cum foliis, floribus, et stipulis; haec omnes si in campo crescerent, spatium nullius supergrediens illud, quod arbor nunc replet, occuparent, adeoque vix locus in terra sufficeret tot plantis gerendis, quos iam arbores praestant. Praeterea folia earum, autumno decidua, adstantes plantas regunt, et contra frigoris vim defendunt, aestate vero placidam umbram non tantum animalibus, sed et herbis circumstantibus contra intensos solis radios praebent; accedit, quod arbores aquam ex terra hauriant, quae per transpirationem instar pluuiae inuisibiliter dispersa, iuxta nascentes plantas humectat, et S. p. vid. Eiusd. Diss. de Oeconomia Naturae, in Amoenitat. Acad. Vol. II. Holm. 1751. edit. p. 23. sq.*

vescuntur, vt igitur, si syluae destruantur, esculentorum facile penuria oriri, haec vero nouam occasionem, morbis generandis aptissimam praebere possit.

§. VII.

Sed non solum ob syluarum destructionem feris animalibus varioque victu caremus, verum etiam cum bello fames et annonae raritas fere semper esse solent coniunctae. Hoc vero et superius ex THUCYDIDE allegatum dubium oraculi praesagium inuere videtur, et recentissima tempora confirmant. Summam enim ex bello ortam annonae difficultatem, et alios in castris, vrbibus et agris fame pene necatos esse, alios vero, alimenta minus salubria assumentes, grauissimis morbis, et contagiosis praecipue, ansam praebuisse, ipsi experiri fuimus, aliorumque testimoniis dudum comprobatum accepimus. Solum penuriam, dum fame coacti, cruda, immatura, et ad esum inepta deuorarent, pestilentialem morbum peperisse, GALENVS *a*) docuit, et inter recentiores HEBENSTREITVS *b*) scripsit:

*Ergo Magistratus curet miserabile vulgus,
nec sinat oppressum dura languescere vita.
morbus abinde venit, pestis famis esse sodalis
saepe solet, duplicique malo gens interit vna.*

Licet vero summum annonae gradum, famem scilicet, hoc, quod tandem feliciter superauimus, bello nondum experti simus, ob defectum tamen ciborum, quibus assueueramus, vel aliena, et noua quasi fercula sumenda, vel saepius ea quotidie deglutienda fuerunt, quibus alias vti rarissime solebamus. Rarius si deglutiuntur alimenta indolis malae, nulla damna inde nanciscitur humanum corpus, sed euidenter nocent, si iisdem semper ac solis fere vescimur. Ferendum quidem esset omne alimen-

a) De succorum bonit. et Vit. Edit. Oper. apud Iuntos VII. Cl. II. c. 1. p. 33. et de Different. Februm L. 1. c. 3. Cl. III. p. 31.

b) Vid. Carmen de Homine sano et aegrot. Lips. 1753. P. III. c. 9. p. 278.

alimentorum genus, cum vulgo dicant, sanis omnia sana esse,
LVCRETIVS etiam canat: c)

*Nec multum refert, quo victu corpus alatur,
dummodo quod capias concoctum didere possis
artibus, et stomachi humectum servare tenorem.*

Porro apud OVIDIVM d) legamus,

*Vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,
Foetibus arboreis, et quas humus educat herbis
fortunata fuit.*

Verum viuendi ratio nobis nunc alia est, et ex consuetudine, sensim inducta, alia commode et facile, alia autem non sine molestia toleramus. Hinc si infuetis, necessitate coacti, vtamur, humores et solida nostri corporis ita commutantur, vt morbis suscipiendis fouendisque maxime idonea fiant. Et haec quidem, quae nobis haud conueniunt, alimenta, duplicem classem constituunt, quorum alia ex sua mixtione minus laudabili incommoda pariunt, alia vero praestantissima quidem sint, ab imbecilliori tamen corpore tolerari neutiquam possunt. Ad priorem classem praecipue spectat, speciatimque notari meretur caro suilla, de qua Cel. CHEYNÆVM e) differentem excitemus. *Nullum animal, dicit, foediore, quam sus, se ingurgitat alimento, aut cutaneis morbis opportunius vinit, nullius caro stomacho molestior incumbit, nullius denique succi rancidiores, aut putredini magis obnoxii sunt, qua de causa peste, aut quouis epidemico grassante morbo sapientiores gentes turpis huius animalis genus internectione delent, et s. p. Immo ipsi arborum terraeque fructus, alias salutare, vel ex praua anni constitutione, vel in coenosis purridisque locis nati corruptique, prauos succos, ingestis producant, corpusque nostrum destruant. Ex aeris enim putredinosa praecipue qualitate plantas mutari, immo destrui, saepius non sine dolore haecenus cognouimus, rarissimasque plantas, in horto Academico cultas, annuas in-*

lunt.

D

primis

c) Libr. IV. v. 632.

d) Metamorph. Libr. XV.

e) De Infirmor. Sanitate edit. cit. c. 2. §. 17. p. 64. Istius quoque pestis, quam retulit DIONYSIVS HALICARNASSEVS Libr. IV. c. 75, eam FESTVS voc. *Tauri ludi* fuisse causam scriptum reliquit, quod caro Taurorum immolatorum populo vendita esset, vnde et Ludi Taurii appellati sunt.



primis, ex halitu latrinarum, proximeque adiacentis amplioris nofocomii effluuiis marcidas combustasque fuisse, conspeximus. Ad alteram classem pertinet omnis victus durus crassiusque nimia quantitate, et fere continuo, ab insubeto inprimis debillique stomacho sumtus, vt sunt carnes sale conditae, induratae, infumatae, fabae, pisa, lentes, solani tubera, immo ipse panis grossus, et a surfuribus non satis repurgatus. Quae quidem valentiora alimenta egregie nutriunt, corporaque firma et laboribus perferendis idonea generant, si scilicet a viribus nostrae machinae superantur, sed si hoc vel fieri non potest, vel diutius morantur in ventriculo, ac difficillime, vel plane non soluantur digerunturque, laedunt, ac inprimis aeque ac secundis viis morbosam dispositionem efficiunt. Qui igitur virgente penuria quibuscunque vti alimentis coguntur, eodem modo ac illi, qui palato nimium morem gerunt, in varios morbos incurrunt. Quae incommoda eo certius belli tempore eueniunt, cum eius comes sit penuria, et iniquis pretiis esculenta vendantur, deprauata moneta pretia augeat, mercatorum cupiditate annona rarissima reddatur, et denique, quia leges silent, magistratus leges etiam annonarias custodire non possit. Hinc cur morbi epidemici etiam apud nos praeteritis annis grassati sint, et in egenam plerumque plebem, pessimo victu nutritam, peculiari quasi odio defaecuerint, eademque fatales fuerint, facile intelligitur; Eademque etiam ex ratione egenus, vnde auxilia, morbis oppressus, petat, nesciens, vel remedijs plane destituitur, vel ad domestica quaeuis, eademque saepissime nociva recurrit auxilia, et mortem sibi accelerat. De Potu quaedam in specie monere, nec non de somno atque motu verba facere, nimis prolixum foret; hoc modo restat, vt de excretis acturi, ad Venerem respiciamus. Haec enim, et inde oriunda lues, belli sunt foetus frequentissimi.

f) Id etiam de peste Viennensi asseruit RAMAZZINVS, dum scripsit: Scio equidem in communibus populorum aerumnis plebem, cuius maior, quam ciuium est numerus, eam esse, quae grauiora sustineat pondera, scire tamen licet, minutam plebem, ob inopiam, pessimo victu nutriri solere, id eoque in locis, vbi pestis caput exerat, ob humorum corruptelam ad luem concipiendam magis idoneam esse, quam caeteros. Vid. Eius Oper. cit. p. 807.

Ami. Testatur id prae caeteris HIER. FRACASTORIVS, di-
cens: g)

in latium per tristia bella

Gallorum irrupit, nomenque a gente recepit.

Et licet nihil in maius Magistratus opprobrium cedat, quam
Iupanaria ferre, sub tristi tamen illa anarchia, et in legum si-
lento, constans quaeri remedium vix potest; id quod eo ma-
gis dolendum, cum non modo inde pessimo venereo morbo,
sed et aliis occasio detur, iisdemque iam praesentibus maius
periculum h) inducatur.

§. VIII.

Quam magna ab animi pathematibus redundent damno-
rum fere innumerabilium pericula, et quam admirandi
ab iis. in humano corpore destruendo a) potius, quam
conseruando b) excitentur effectus, dudum compertum c)
habemus. Et licet nonnulli reperiantur adeo forti, constanti ac
stoico quasi animo, vt nulla ratione afficiantur consternentur-
que, est tamen rarissima haec animi constantia, paucissimis-
que familiaris, belli imprimis tempore, quo vt plurimum ex
improviso accidunt occurruntque perturbationes. Per animi
autem pathemata spiritus et praecipue sanguis vel exagitan-
tur, vel reprimuntur, et quasi concentrantur. Iam vero de pri-
ori specie, cum nimirum ad bellum attendimus, vix est, vt fol-
liciti simus, nunquam enim gaudio ac hilaritate afficimur, im-
mo iram, multoties natam, omni modo comprimere potius ac

D 2

g) In carmine, cui titulus: Syphilis s. Morbus gallicus edit. Veronae 1530.
a) statim ab initio.

b) Hinc tempore pestis Iupanaria esse remouenda, omnesque meretrices
ex ciuitatibus eiciendas, praecipit HIER. MERCVRIALIS Lib. de Pe-
silitia, Venet. 160. 4. c. 20. p. 25.

c) Conf. imprimis GOD. TH. TRÜBEL Diff. de mortuis ex affectibus Lips.
1700. 4. in qua multa adducuntur exempla. Eiusmodi quoque casus
commemoratos vid. in Cl. LANGVTHII Diff. cit. de Animo Sanitatis
Praefide §. 16. p. 26.

b) Quandoque remedii loco inferuire, morbosque mitigare docuit I. W.
PAVLI Diff. de Animi commotionum vi medica Lips. 1700. 4.

c) Conf. G. E. STAHLII Diff. de Passionibus animi corp. hum. varie altera-
tantibus, Hal. 1695. FRIDR. HOFFMANNI Diff. de Animo Sanitatis
et morborum fabro Hal. 1699. et CHR. LIPSTORFII Diff. de Morbis
passionum animi. L. Bat. 1719. 4.



occultare, quam excitare debemus. Altera vero classis huc pertinet. Etenim moeror, tristitia, curae, metus, pavor terrorque focii nostri communes atque perpétui fuerunt. His autem animi affectionibus omnibus humanum corpus multis laeditur modis. *d)* Pallet exinde facies, collabuntur tempora, resolutur solidorum tonus, cunctisque partibus sua virtus perit: Languet appetitus, insomniis turbatur somnus, palpitat cor, pulsus fit debilis atque rarus, et respiratio suspiriosa, quaedam porro secreciones, praecipue cutanea, *e)* imminuuntur, augentur eadem ex causa aliae, imprimis aluina; *f)* vno verbo, tristitia, maximo animi et corporis tormento, omnis humani corporis oeconomia languet, titubat, periculumque facit. Haec in genere notata sufficiant, specialia enim plurima in auctorum scriptis collata *g)* inuenies. Sed respiciamus iam speciatim debilitatem corpori inde inductam, quae noua et multum afferre solet incommoda. Vere enim *CELSVS b)* dixit: *Omnibus morbis obnoxia maxime est infirmitas.* Putamus autem mala, quae ipsa haec infirmitas gignat, commode ad partes referri duas posse. Et tristiori quidem, diuque durante affectu corpora, quae mirum in modum debilitantur, ad suscipiendum praesentis contagii

- d)* Quam rem bene exposuit *CONR. BVRC. VOGTHER* Diss. de Morbis Moerentium Altd. 1703. p. 10. Conf. etiam *HOFFMANNI* Diss. cit. de Animo sanitatis fabro. §. 11. p. 14. et §. 15. p. 19.
- e)* Hinc *SANCTORIVS* asserit: Nil magis liberam perspirationem reddere, quam animi consolationem. Vid. *Medic. Statica.* Sect. V. aph. 6. et 19.
- f)* Nihil frequentius inducere moerorem, quam Diarrhoeas, persistente tristitiae causa, incurabiles, nonnunquam obseruauimus, et moerentes corrigi potissimum morbis ventriculi, docuit *GEORG. BAGLIVIVS* in Praxi medic. L. 1. c. 14. §. 3. et 4. edit. Oper. Antw. 1734. p. 149.
- g)* Morbos, a terrore e. gr. ortos, ut sunt Epilepsia, Paralytis, Abortus, Obstructio mensium, Haemoptysis, recensuit *HOFFMANNVS* Diss. cit. de animo §. 16. p. 19. Et quantum dominentur timor et metus in naturam fluidorum et solidorum C. H. in terrae motu, qui 1703. Romam concussit, *BAGLIVIVS* obseruauit, ait enim: *Licet hic terrae motus, Romae insolitus, neminem occiderit, nec multum passa sint aedificia, nihilominus tamen saliter Romanorum mentem percussit timor, ut hoc mensi plures prae timore correpti perire, mulieres quam plurimae abortiuere, et qui tunc aegroti in lecto iacebant, morbum exacerbari, manifeste in iis obseruauimus.* Vid. l. c. L. 1. c. 14. edit. oper. p. 151.
- b)* De Medicina L. 1. c. 3. Conf. quoque *CEL. LVDWIGII* Progr. de nimia animi defatigatione causa debilitatis in morbis Lipsi. 1762. 4.

gii halitum facilius disponuntur, immo nato ex grassantibus morbis terrore, absente fortassis adhuc ipso contagio, in summum tamen periculum irruunt. An terror timorque pestis aliorumque, epidemice grassantium, morborum princeps causa *i*) existat, iam quidem disquirere haudquaquam possumus; id tamen certo scimus, ad recipiendum contagium certam corporum dispositionem requiri, ac tranquillum maxime intrepidumque animum id efficere posse, ne eiusmodi morbis corpora corripiantur, cum nullum, consentiente Cel. HOFMANNO *k*) in hoc morborum genere salubrius existat consilium, quam ut animus erectus et in utramque fortunam paratus sit. Hinc corpora, tristitia debilitata, facillime miasmata, quae in aere vehuntur, admittunt, atque ad pristinum sanitatis statum vix unquam redeunt. Porro quoque debilitas causa esse videtur, cur partim ad longos chronicosque morbos corpora disponantur, partim acuta malignaque vexata inualetudine rarissime cum sanitate in gratiam redeant, sed potius succumbant, vel repetitas recidivas experiantur, et morbi, benigni alias, in malignos facile conuertantur. Quae omnia multiplici, ast tristi, experientia, durante bello cognouimus. Febres, tunc epidemice grassantes, *l*) intermittentes, plerumque modo remittentes erant, cum frigoris momento leuissimo, caloris intensioris diuturno, maximaque semper virium iactura; Verae, quae grassabantur, intermittentes, quartanae etiam, plerumque erant duplicatae, aliisque haud remediis, quam cortice peruviano,

i) Varii sunt, qui pestem vnicè a terrore, timore, ac metu, non vero a contagio derivare studuerunt, quorum omnium princeps est AVG. QVIR. RIVINVS. Vid. Ejus Diss. de Peste, edit. cum aliis Dissert. Lipsi. 1710. 4. p. 831.

k) Diss. de Animo sanitatis fabro §. 19. p. 12. et in Diss. de Origine et natura Pestis. Hal. 1708. edit. p. 30. scribit: *Certum in peste est contagium, certum etiam illud, quod nil magis noceat corpori iam infecto, vel ad infectionem faciat, vel vehementiam morbi augeat, quam pestilentissimus terror.*

l) Febres, per omne belli tempus grassatae, vbiq; locorum fere similes sibi fuerunt, omniaque, quae de iisdem in nostra ciuitate ac eius vicinia obseruauimus, ab aliis quoque in aliis remotisque locis notata fuisse, ac in primis morborum ruralium, qui an. 1759 ad 1761. Laxenburgi et in vicinis oppidis pagisque dominati sunt, historia, a FRANC. IOS. LAVTTERO Vindobonae 1761. 8. edita, maximam vbiq; locorum similitudinem, eandemque morbi faciem, egregie nos docet.



uiano, praestantissima roborante medicina, compefcendae; et
 continuas pessima femper symptomata, sensuum stupor, deliri-
 um, maculae, pulsus debilis, et s. p. comitabantur. Cum au-
 rem diuo illo cortice fere solo atque vnico re- et intermitten-
 tes, earundemque repetitae reciduae, in primis quasi incurabu-
 lis, ne quartana excepta, sine omni noxa, *m*) propelli, immo in
 continuis eadem medicina critici motus excitari et sustineri po-
 tuerint debuerintque, primariam harum omnium causam in de-
 bilitate, quam tristiores animi affectiones induxerunt, quaeren-
 dam esse, existimamus. Quid pauor et merus in destruendo
 nostro corpore valeat, in primis post infelicem vltimam vrbs
 nostrae obfidionem ac deflagrationem, luculentissime cognoui-
 mus; licet enim non ab igniuomis machinis laesa fuerint in-
 colarum corpora, nunquam tamen toto belli tempore totidem
 malignas putridas febres, phthificos hecticosque vidimus, nun-
 quam continuas, re- et intermittentes tam mali moris, magis-
 que periculosas et magis contagiosas, saepiusque redeuntes co-
 gnouimus, nunquam tot funera numerauimus, quam finita hac
 obfidione tristisque affectu quasi altius radicato. Verum satis de
 bello. Nolumus calamitates, quibus ciuitas nostra aliaeque re-
 giones septem ab hinc annis grauissime sunt oppressae, omnes
 atque singulas prolixius enarrare, atque tanquam morborum
 causas producere; in primis cum nunc sit Morti et Bellonae li-
 tatum fuerit, ac arma, quae per Saxoniam, Germaniam, Euro-
 pamque fere totam saeuierunt, penitus conquiescant, omnesque
 inter se gentes reconciliatae tranquilla perfruantur pace. Dul-
 cissima pace, re, supra quam dici potest, saluari tandem post im-
 manes motus in libertatis, quietis ac securitatis statu haeremus,
 deploratae populorum res pace iam efflorescunt, exoptata diu,
 tandem, sit Laus et Gloria Summo Numini, nobis concessa, pax
 vrbi nostrae ac Saxoniae sanitatem, multis modis hactenus
 labefactatam, restituit, eandemque vt diutissime
 conferuet, ardentissime precamur.

m) Idem etiam affirmat LAUTTERVS l. c. p. 22. dicitque medicatio, quam
 primum d. h. febrim detexeram, per corticem facta est, et vnicum
 modo remedium, quod adhibuimus, vbi tandem tertia vel quarta vice recidua
 febris corticem respuit.



ULB Halle 3
003 770 109



50







DE
B E L L O
M O R B O R V M C A V S A

P R A E S I D E
G E O R G . R V D O L P H . B O E H M E R O
P H I L . E T M E D . D O C T . A N A T . E T B O T A N .
P R O F . P V B L . O R D .
P R O L I C E N T I A

D. XVIII. MENS. IVL. A. R. S. MDCCLXIII
DISPUTABIT
IOANNES FRIDERICVS SINZIVS

MVGELLA MISNICVS
MEDICINAE CANDIDATVS

VITTEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

Handwritten signature
1763
1a